



**H**ermānus Balck ex nobili familia apud Germanos ortus, à primis adolescentiæ annis militiæ operam dedit, atq; animi & corporis sui fortitudine magnum sibi nomē comparauit. In primis autem cum Germana nobilitate Barbaras gentes in Prussia & Liuania persecutus, res sibi commissas magna dexteritate administrauit. Accidit autē eius tempore, anno Christi millesimo ducētesimo tricesimo octauo, quod prudentum uirorum consilio Gladiferorum in Liuania ordo cum Theutonici cruciferis iniretur, atq; æternum fœdus constitueret. Itaq; utriusq; ordinis uoluntate Hermannus ille primus Liuniæ magister electus fuit. Eā

dignitatem is magno animo suscepit, atq; per annos octo foeliciter administrauit. Verum cum immatura morte tolleretur, in eius locū Henricus Heimburgensis substitutus fuit. Ioan. Funck in Chron.